

## Aldobrandino of Toscanella OP

In festo sancte Heliçabet<sup>1</sup>

*Imitatores mei estote*, Phil. 3. (17). In sacra scriptura invenitur duplex via; et una quidem, que ducit ad mortem, scilicet ad infernum, et multi sunt qui vadunt per illam, quia ampla est et *spaciosa*; ampla quidem, ut dicit Dominus, *est via, que ducit ad mortem, et multi sunt, qui intrant per illam* (Mt. 7, 13); alia autem est via, que ducit ad vitam, et pauci sunt, qui intrant per illam, quia *arta via {389ra} est, que ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam* (Mt. 7, 14), quia *multi sunt vocati, pauci vero electi* (Mt. 20, 16; 22, 14).

Ad hanc autem viam, scilicet vite, quam beata Heliçabet invenerat, hortatur attente alios, dicens: *Imitatores mei estote*; proprium est enim viris sanctis et mulieribus velle, quod omnes ambulent per viam vite, quam eis Dominus demonstravit. Unde dicebat apostolus, I. Cor 7. (7): *volo nunc vos esse sicut me ipsum*; et ideo dicebat beata ista Heliçabet: *Imitatores* etc. Debemus autem ipsam imitari libenter, quia in ipsa fuerunt quatuor, que maxime reddiderunt ipsam imitabilem, et

<1> primo, quia fuerunt in ipsa omnes virtutes sanctorum;

<2> secundo, proprietates angelorum;

<3> tercio, qualitates elementorum;

<4> quarto, pulcritudines celorum.

<1> Primo ergo, in ea fuerunt omnes virtutes sanctorum. Nam diverse virtutes, que donate fuerunt sanctis, perfecte reperiuntur in ea.

<1.1> Nam virtus virginum, quarum gradus in ordine est inferior, est continencia, quia propter amorem Dei continuerunt se a delectacionibus huius seculi, et precipue a carnalibus, et ideo dicebat beata Cecilia {389rb}: *fiat cor meum, domine, et corpus meum immaculatum, ut non confundar*;<sup>2</sup> beata autem Heliçabet perfecte habuit istam virtutem, quia magistro suo, qui vocabatur frater Corradus, promisit continenciam, dicens, quod nunquam preterquam cum

---

<sup>1</sup> Base ms.: RM = Rome, Biblioteca Casanatense, 4560, ff. 388vb-390va. Collated mss.: BO = Bologna, BU, 1683, ff. 125ra-126rb; PA = Padua, BU, 1080, ff. 94vb-95vb; VA = Città del Vaticano, BAV, Chig. C. IV. 99, ff. 76va-78rb.

<sup>2</sup> *Passio Sanctae Ceciliae*, ed. H. DELEHAYE, in *Étude sur le Légendier romain: Les saints de novembre et décembre*, Brussels, 1936 (Subsidia hagiographica, 23), §. 3, p. 196.

viro suo, aliquo uteretur, et si suus vir moreretur ante eam, servaret perpetuam castitatem, sicut patet in eius legenda.<sup>3</sup>

<1.2> Secundo habuit virtutem confessorum, que quidem fuit male indui, male comedere, male bibere, et alias abstinencias multas facere, sicut patet de sanctis confessoribus, qui fuerunt; hoc autem perfecte habuit beata Heliçabet, sicut patet in eius legenda, et ideo dicere poterat cum apostolo, I. Cor. 6. (9, 27): *castigo corpus meum et in servitatem redigo*, unde ipsa continue portabat cilicium ad carnem, et ieiunio multo macerabat corpus suum, et frequenter orabat, quod est eiam proprium confessorum, et ideo poterat dici de ea, quod *erat pernoctans in oracione* (Lc. 6, 12.), quia frequenter surgebat a latere viri sui, et stabat in oracione devote.<sup>4</sup>

<1.3> Tercio autem habuit virtutem martirum, quorum virtus fuit in paciencia, {389va} scilicet in tollerancia passionum, unde Luc. XX (21, 19): *in paciencia vestra possidebitis animas vestras*; hanc autem virtutem perfectissime habuit beata Heliçabet, que licet non fuerit passa gladium secundum rem, tamen passa fuit secundum affectum, et eiam multa alia obprobria propter amorem Christi, sicut patet in eius legenda, unde legitur, quod expulsa fuit de regno post mortem viri sui, et invenit eam quedam vetula infortunata, que eam nutrierat, et videns eam tam despectam, inpegit in eam, et fecit eam semel cadere in lutum, quod totum pacienter portavit propter amorem Christi.<sup>5</sup>

<1.4> Quarto habuit virtutem apostolorum, que fuit in contemptu mundi et terrenorum, unde dicebat Petrus in persona omnium: *ecce reliquimus omnia et secuti sumus te* (Mt. 19, 27). Fuit enim virtus eorum in obediencia et in contemptu mundi, quod perfecte habuit beata Heliçabet, quia et obediens bene fuit magistro suo, et omnia largita est pauperibus propter Christum, sicut patet in eius legenda.<sup>6</sup>

<1.5> Quinto habuit virtutem prophetarum, quorum virtus fuit in sciencia secretorum Dei et revelacione divinorum, quod quidem ipsa habuit in visione Christi, quando ipsum {389vb} vidit, sedens super gremium ancille sue, sicut patet in eius legenda.<sup>7</sup>

Et sic patet primum, qualiter scilicet sit imitanda, quia in ea fuerunt virtutes sanctorum.

---

<sup>3</sup> A. HUYSKENS, *Der sogenannte Libellus de dictis quatuor ancillarum s. Elisabeth confectus* (henceforth: HUYSKENS, *Libellus*), Munich – Kempten, 1911, pp. 17, ll. 445-457.

<sup>4</sup> *Ibid.*, p. 21, ll. 565-568.

<sup>5</sup> *Ibid.*, p. 35, ll. 1000-1015.

<sup>6</sup> *Ibid.*, passim.

<sup>7</sup> *Ibid.*, pp. 35-37, ll. 1016-1069.

<2> Secundo autem fuerunt in ea proprietates angelorum. Nam secundum beatum Gregorium<sup>8</sup> et Dionysium<sup>9</sup> et alios sanctos, IX sunt ordines angelorum, diversas operationes habentes.

<2.1> Proprietas autem ultimi ordinis, scilicet angelorum, est custodia hominum, quia quilibet hominum habet suum angelum deputatum sibi ad custodiam, secundum beatum Ieronimum.<sup>10</sup> Hoc etiam perfecte habuit beata Heliçabet, quia ipsa continue custodiebat infirmos, et ministrabat eis, sicut patet in eius legenda.<sup>11</sup>

<2.2> Secundo habuit proprietatem archangelorum, quorum proprietas est nunciare magna, et sicut isti, ita etiam ista semper magna pro Christo annunciabat, quia de Deo cum proximo loquebatur frequenter.

<2.3> Tercio habuit proprietatem potestatum, quorum officium est reprimere demones et arcere, ne nobis noceant, quantum possunt, sic et ipsa coercuit eos, ne sibi nocerent, quantum vellent, eorum temptacionibus resistendo, sicut patet in eius legenda, ubi dicitur, {390ra} quod quando lavabat pedes unius leprosi, et ipsa temptaretur, quia natura sua abhorrebat infirmum, dicitur quod bibit de aqua locionis pedum leprosi.<sup>12</sup>

<2.4> Quarto habuit proprietatem principatum, quorum officium est principari, quod optime habuit beata ista, quia optime principari sciebat familie sue et regno, cum esset uxor magni principis valde.

<2.5> Quinto habuit proprietatem virtutum, quorum officium est mirabilia facere, quod optime fecit beata Heliçabet. Circa quod sciendum est quod ipsa habuit virtutem generalem ad facienda mirabilia cum aliis sanctis, specialem cum aliquibus, singularem preter omnes.

<2.5.1> Virtus generalis quasi omnium sanctorum est mortuos suscitare, quod ipsa habuit, quia XVI mortuos suscitavit, sicut narratur in eius legenda.<sup>13</sup>

<2.5.2> Habuit virtutem specialem, quia de eius sepulcro exivit oleum purum, quod beato Nicholao et beate Caterine invenitur esse collatum.<sup>14</sup>

<2.5.3> Habuit tercio virtutem singularem, quia ceco nato cui nec vestigium oculorum apparebat, restituit oculos {390rb} et visum, quod non legitur alicui sancto datum.<sup>15</sup>

---

<sup>8</sup> Gregory the Great, *Homiliae in evangelia*, XXXIV, 7.

<sup>9</sup> PSEUDO-DIONYSIUS THE AREOPAGITE, *DE CAELESTI HIERARCHIA*, VI, 2.

<sup>10</sup> JEROME, *Commentariorum in Matheum libri IV*, III, Mt. 18, 10 (CCSL, 77).

<sup>11</sup> HUYSKENS, *Libellus* cit., passim.

<sup>12</sup> The only parallel of this episode known to me appears in one of the Elizabeth-sermons by OSWALD OF LASKÓ. See *Sermones de sanctis perutiles a quodam fratre hungaro ordinis minorum de observantia comportati Biga salutis intitulasi*, Hagenau, 1497, sermon 108 (without foliation): “aquam balnei fetidi immundi et scabiosi ebibit ut sic seipsam superaret”.

<sup>13</sup> HUYSKENS, *Libellus* cit., pp. 81-82, ll. 2246-2248.

<sup>14</sup> *Ibid.*, pp. 82-83, ll. 2258-2268.

<sup>15</sup> *Ibid.*, pp. 82, ll. 2249-2256.

<2.6> Sexto habuit virtutem vel proprietatem dominacionum, quorum officium est aliis inferioribus dominari, quod ipsa optime habuit, quia optime scivit dominari partibus suis inferioribus et sensibus sui corporis, retrahendo ab illicitis omnibus, quia ipsa corpus suum spiritui servire cogebat, et legitur de ea, quod faciebat se nudam verberari a suis ancillis, ut scilicet posset suo corpori dominari.

<2.7> Septimo habuit proprietatem thronorum, quorum proprietas est, quod sint sedes Dei, quod etiam vocabulum indicat, quod ipsa habuit, quia ipsa ab infancia sua semper fuit humilis et quieta et *super* talem *requiescit spiritus Domini* sicut habetur in Ysa. (11, 2).

<2.8> Octavo autem habuit proprietatem cherubin, quorum proprietas est sciencia. Nam cherubin interpretatur plenitudo sciencie,<sup>16</sup> et ista vere habuit scienciam veram, quia scivit Creatorem suum; omnis autem alia sciencia vana est et perniciosa. Nam philosophi omnes quasi, qui maxime vigerunt ista sciencia mundana, dampnati sunt; et ideo vera sciencia est scire {390va} Deum. Unde dicit beatus Augustinus loquens de Deo: felix qui te scit etiam si illa non novit; infelix autem, qui illa novit et te nescit.<sup>17</sup>

<2.9> Nono et ultimo beata ista habuit proprietatem seraphin, quorum proprietas est esse ardentis caritate, quod ista sancta optime habuit; nam tota ardebat caritate Dei, sicut patet in eius legenda, et ideo dicere poterat cum apostolo, Ro. VIII. (35): *quis nos separabit a caritate Christi* etc.

Rogemus.

---

<sup>16</sup> M. THIEL, *Grundlagen und Gestalt der Hebräischkenntnisse des frühen Mittelalters*, Spoleto, 1973, pp. 277-278.

<sup>17</sup> AUGUSTINE, *Confessionum libri XIII*, V, 4, ed. L. VERHEIJEN (CCSL, 27).